



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Institvtionvm// Ad Vniversvm// Ivs Pontificivm, Sive//
Canonicvm, Libri Qvatvor**

Lancellotti, Giovanni Paolo

Basileae, 1566

viiij. De Sacramento Matrimonij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61756)

a c. 1. §. 1. de
sacra unct.

Non est etiam omittendū A
sacrae Vnctionis sacramen-
tum: cuius duæ sunt spe-
cies, exterior, & interior. Illa,
quæ materialis est, & visibilis,
inungit corpus: Hæc, quæ spiri-
tualis est, & invisibilis, inungit
cor: hæcque per illam exteriorē
significatur.

Vngitur ergo quilibet Chri-
stianus primū in Baptismate
bis, oleo quidem Catechume-
norum prius ante baptismum,
mox Chrismate ante solennia
Baptismi peracta. Vngitur et-
iam Chrismate, dum Confir-
mationis munus accipit: quod
non, nisi ab Episcopo impendi
potest, quamvis cæteræ vnctio-
nes per quemvis presbyterorū
fieri possint. Vngitur demū,
cū infirmatur, ut & corpus &
anima feruentur, quæ vnctio-
nes cuius Christiano commu-
nes sunt. Aliæ verò non omni-
bus conceduntur. Episcopus e-
nim Chrismate caput, manusque
inungitur. Vngitur altare, dum
consecratur: templum, cū de-
dicatur: calix, cū benedicatur.
Item vngitur Princeps secula-
ris in brachio, seu in humero,
vel armo: non in capite, ut
olim^b.

b eod. titu. de
sacra unct.

DE SACRAMEN- to Ordinis,

TITVLVS VII.

Quia supra libro primo fa-
ctis docuisse arbitramur, q

sunt Clericorum ordines, super
fluum existimastis hic circa sa-
cramentum Ordinis pluribus
insistere: quod sacramentum in-
stitutum est, cum signo imposi-
tionis manuum, aliisque ritibus
solennibus. Quavis enim Chri-
stiani omnes sint sacerdotes, ut
spiritalis hostias, id est, semet-
ipsos Deo offerre, & nomen e-
ius laudare & vtiliter invocare
in omni loco possint, non om-
nes tamen sunt Ecclesiæ mini-
stri, sed iam inde ab Ecclesiæ ini-
tio selecti sunt quidam, qui mu-
neribus Ecclesiasticis fungeren-
tur, & hi in noue classes distin-
cti sunt, quas supra libro primo
recensuimus, quamvis Theolo-
gi infimam & supremam clas-
sem inter has non recenseant.

Hoc autem sacramētum ver-
bis Christi nititur pluribus lo-
cis repetitis, & duplicem pote-
statem confert, ordinis videli-
cet, & iurisdictionis: sub quarū
altera cadit verbi diuini mini-
sterium, administratio sacramē-
torum, & Ecclesiarum ordinatio
ad ædificationem: sub altera
potestas excommunicandi,
& pœnitentes absoluedi.

DE SACRAMENTO matrimonij,

TITVLVS VIII.

Matrimonium est Sacramē-
tum, quo vir vnus vnaque
mulier perpetuo & indif-
focia-

fociabili vinculo coniugantur. A

Duæ etenim Christiani matrimonij leges præcipuæ sunt: Altera, vt sit inter duos tantum, id est, vnus viri & vnus mulieris coniunctio, & neutri eorum liceat corporis sui tertio potestatem facere: Altera, vt hæc coniunctio, sola altervtrius morte dissoluatur. Et si enim lege antiqua repudiū non prohiberetur, id tamen illis populis durissimi cordis Moses permiserat, grauius ducēs vxorem occidi, quod in illis metuebatur, quàm odij causa dimitti: quod hodie cessante iam illa tanta duritie minimè necessarium existimatur. At quod dicitur, vxorem ob fornicationem dimitti posse, non sic est exaudiendum, quod propterea matrimonij vinculum scindatur, sed duntaxat thori, mensæq; consuetudo separatur: quare adulterij reus erit tanquam alienum contrectans, quisquis sic dimissam duxerit.

Causæ autem contrahendo matrimonio, vel iam contracto aduersantes, hæc ferè solent hoc iure enumerari. In primis votum solenne contrahendū impedit, & contractum divellit. Simplex autem votum contrahendo quidem obesse potest, non contractū dirimere^a. Itē duo, quorum alter sit Christianus, alter infidelis, se invicem matrimonio copulare non pos-

sunt^b. Error quoq; quo coniugum alter ducitur, dum vel in persona coniugis labitur, credens (gratia exempli) esse Corneliam, quæ Sempronia erat: vel quo in coniugis conditione decipitur, existimans ingenuam esse, quæ serua erat, solet nuptiarum validitati officere^c.

Item cognati & affines nuptias inter se contrahere prohibentur. Et cognatorū quidem per lineam rectam inter se coniunctorum prohibitio perpetua est, nullo certo fine conclusa: eorum verò, qui ex transverso gradu cognationis iunguntur, prohibitio vltra quartum cognationis gradum non protenditur, & cum dispari in gradu sunt, remotior spectatur gradus^d.

Cum autem tres species cognationis sint, scilicet Carnalis, & Legalis, & Spiritualis (quæ scilicet contrahitur per Baptismum & Confirmationē) quælibet harum matrimonium impedit, & infirmat, licet diuersis modis, vt j. docebimus. Cognatio autem legalis dicitur, vt si qua per adoptionem mihi soror esse cœperit: nam quamdiu durat adoptio, inter me & ipsam nuptiæ consistere non possunt^e.

Affinitatis autem ratio in primo duntaxat genere habetur, non in secundo, nec in tertio: quod in Concilio generali In-

^b c. ead. cum seq. 28. q. 1.

^c c. proposuit. ubi Abb. de coniug. ser.

^d c. si. de consang. & affinitat.

^e c. iiii. de cognat. leg.

^a c. i. & fin. qui de, uel no.

nocentiano statutum fuit, cum antea & secundum tertium affinitatis genus nuptias impediret, & irritaret. Ea autem prohibitio ultra quartum gradum non provehitur, cum ante illud Concilium ad septimum

a c. non debet. ubi glo. & Doc. de consangu. et affinit.

vsq; gradum extenderetur. Item ex his, quæ paulo supra à nobis tradita sunt, constat, eum, qui iam vno matrimonij iugo premitur, alterum subire non posse: quo fit, ut si quis cum duabus mulieribus verbis presentem actum significantibus matrimonij contractum inierit, eorum prior sola futura sit vxor, & posterior dimittenda, quamvis cum ea se iam immi-

b c. pe. & 3. et si. de spo. sal. duor.

scuisset. Eadem ratione & qui vxorem ducit eam, quam alter sibi desponsam verbis presentibus habuerat, eam dimittere cogendus est, poenitentiamque subire. Publice quoque honestatis iustitia nuptijs obesse solet, pura si consanguineus meus cum aliqua muliere sponsalia tantum contraxerit, quamvis nondum presentibus verbis confirmatum sit matrimonium, mihi tamen sponsi ipsius consanguineo collocari matrimonio propter honestatis quædam publicæ rationem prohibetur: quod non minus locum habet, quamvis illa sponsalia consanguinitatis vel affinitatis, aut frigiditatis, aut religionis, aliave ratione essent nulla,

c c. 2. de spons. sal. duor.

A dum modò eis consensus non deesset. Si quis verò sponsalia sub conditione contraxerit, si ante conditionis eventum cum alia prioris consanguinea per verba presentia contraxerit, cum secunda remanere tenebitur: nam ex sponsalibus sub conditione initis, ante conditionis eventum, tanquam incertis, & puro consensu carentibus nulla publicæ honestatis iustitia oritur. Item non potest quis eam vxorem habere, cuius ope eiusdem maritum interfecerit: nefariæ enim habentur nuptiæ, quibus conciliandis mariti prioris sanguis & vita premij quodam modo nuptiarum loco petita fuerint.

d c. inanis. c. ad audientia. de spons. sal. ca. vii. co. tit. in 6. c. 1. de concurs. inf.

B Quo exemplo nec quis eam ducere potest vxorem, quæ in prioris vxoris ipsius necem aliquid fuerit machinata, siue ei fidem dedisset, se eam pro defuncta ducturum, siue non: quæ prohibitio perpetuò est seruanda. Item non valet matrimonium cum ea, quam per adulterium polluit, sciente contractum. Cum ea quoque matrimonium non consistit, cuius consanguinea ego olim potitus sim. Et qui cum priuigna sua sciens fornicatus fuerit, nec à matre debitum thori exigere, nec filiam vnquam habere potest vxorem: imò nec priuigna, nec ipse vllò vnquam tempore alij se poterunt matrimonio

f c. super hoc. de eo qui duxit in matr. quam polluit.

g ca. 1. & 2. ubi Ab. de eo, qui duxit in matr.

h ca. 2. de eo, qui consan.

monio copulare, nisi fortè iu-
uenilis eorum calor mereretur,
vt dispensatione cum eis age-
retur^a.

Item qui debitum carnis red-
dere non possunt, matrimonio
apti non sunt: quare nec impu-
beris vllum erit matrimonium.

Impuberem autè eum voca-
mus, qui ex habitudine corpo-
ris pubertatem præ se non fert,
nec generare potest^b. Et qui-
libet impotès repellitur: quod
tam in muliere, quàm in viro
procedit^d: & hoc contractum
etiam matrimonium dirimere
valet. Sed quia potest evenire,
vt qui à principio impotens vi-
debatur, potens deinde ex cur-
su temporis efficiatur, vt hæc

quoque res suos fines habeat,
vltra quos omni spe iam con-
sumpta alteras nuptias contra-
here possitis, qui nullum impe-
dimentum patitur, si frigiditas
citiùs probari non potest, statu-
tum est, vt coniuges triennio
simul habitent à coniugij cele-
brati die: quo triennio lapso,
si alterius impotentiam adhuc
subesse fuerit probatum, licebit
alteri à tali coniuge discedere,
aliùmq; sibi matrimonio iun-
gere. Sin ambo simul habitare
consenserint potius, quàm di-
vertere, fratris & sororis loco
potiùs sibi invicem, quàm con-
iugum erunt^e.

Atq; vt cæteris negotijs cu-
risque vacui maiorem diligen-

tioremq; operam certis tempo-
ribus, orationibus piisq; alijs
operibus nauare possimus, sta-
tutum etiã est, vt illis tempori-
bus, quæ diuino cultui potissi-
mùm dedicata sunt, nuptias
contrahi quodã modo nephas
habeatur, nempe à septuagesi-
ma vsq; ad octauam Paschatis,
& à tribus diebus rogationum
vsque ad octauam, & per totum
Aduentum^f.

Item matrimonium contra-
here prohibentur hi, quibus Ec-
clesia, ne contraherent, iustis
rationibus interdixerit^g. Et
cùm matrimonia libera esse o-
porteat, satis constat, vi contra-
ctum matrimonium nullius ro-
boris haberi, nisi copula liberè
subsequuta^h. Hinc fit, vt pœ-
næ promissio in matrimonijs
nullam obligationem pariatⁱ.

Furiosus quoque matrimo-
nium contrahere non potest,
quia legitimum consensum præ-
stare nequit, nisi dilucida inter-
ualla tunc haberet^k. Item con-
ditionibus contra matrimonij
substantiam appositis, tale ma-
trimonium non consistit: putà,
vt proles vitetur, vel donec nu-
ptiæ digniores inueniantur, vel
vt coniunx quæstum turpiter
faciat.

Aliæ verò conditiones tur-
pes, aut impossibiles, matri-
monium non viciant: sed re-
ijciuntur, tanquam non ad-
iectæ^l.

Mm 2

^a ca. 1. de eo,
qui cogno.

^b c. impuberes.
de despons.
impub.

^c c. 2. de frigi.
et malefici.

^d c. fraterni-
tatis. co. tit.

^f ca. capella-
mus. de ser.

^g to. tit. de ma-
trim. contr.
con. inter.
Eccles.

^h c. ad id quod.
et c. consulta-
tioni tuæ.
ubi gl. 2. et
Ab. de spon-
sal. c. insu-
per. qui ma-
accus. non
po.

ⁱ c. gemma. de
sponsal.
^k ca. dilectus.
de sponsal.

^l c. si. de condi-
apposi.

Si qui contra supra dicta precepta matrimonium ierint, ubi perpetuum subest impedimentum, nihil agunt, et ubi consanguinitas, vel affinitas subesset, vel cum monialibus, aut religiosis, aut cum sacratibus clericis initum esset, excommunicationis sententiæ ipso iure illigati essent, qui tale matrimonium contraxissent, eosque Ecclesiarum Prælati sic excommunicatos publicè pronūciare debent, aut suis subditis, ut notū id publicè faciāt, iubere, donec errore cognito se separarint, &

a Clem. un. de consang. et affin.

b c. 3. §. si uero. de clandest. desp.

c ea. si. §. si de clandest. desp.

d c. Euthemiū. §. 1. 2. 4. 3.

absolutionem impetrarint: & proles ex talibus matrimonijs suscepta prorsus illegitima habetur, quæ pœna etiā in clandestinis matrimonijs seruatur: aliaque pœnæ statuta sunt, quas aliunde cognoscere quis potest.

Sed & sacerdos parochus, qui huiusmodi coniugationibus obuiam ire neglexerit, & quilibet regularis, qui eis interfuerit, per triennium ab officio suspenduntur: grauius etiā puniendi, si culpæ qualitas postularit.

Altero autē coniugum morte sublato, ubi certum nuntium de hoc fuerit allatum, superstiti licebit ad alias nuptias transire, nec mulierem infamiæ metus deterreat tempore luctus à Cæsareis legibus nubenti præfixus.

In secundis nuptijs etsi con-

jugum alter duntaxat bigamus sit, neutri tamē eorum à Presbytero benedicendū est. Presbyter hæc precepta non obseruans, ab officio & beneficio suspenditur.

e to. tit. de secund. nup.

In causis super matrimonijs vertentibus, vel eas quoquo modo tangentibus proceditur simpliciter & de plano, & sine strepitu & figura iudicij.

f de. dispensi. osam. de iudic.

DE SPONSALIBVS,

TITVLVS IX.

Admonet nos tractatus de Matrimonio modò à nobis habitus, ut hoc loco ali-

quid etiam de sponsalibus dicamus: quæ licet matrimoniū in contrahendo præcedant, nos hinc tamē idcirco postponenda existimauimus, ne matrimoniū à ceteris sacramentis hoc titulo interposito diuideremus.

Sunt igitur sponsalia, mentio & repromissio futurarum nuptiarum. Et à spondendo dicta sunt: nam moris fuit veteribus stipulari & spondere sibi uxores futuras: unde & sponsi, sponsaque appellatio nata est.

Eisque constituendis vel nudus consensus sufficit. Unde qui de matrimonio contrahendo purè & sine aliqua conditione fidem dederunt, commonendi sunt, & omnibus modis inducendi, ut præstitam fidem obser-

g l. 1. 2. §. 3. de sponsal.

h l. sufficit. ff. de sponsal.